

IN S T R A B O N E M.

ignem inspirarit, aut mortuum quicquam aut cœnum immiserit, morte plectitur: uentilantes, flammarum excitat. Aquæ autem, ad lacum aut fluuium aut fontem accedentes, fossam effodiunt, in quam iugulant hostiam, cauentes ne aqua uicina contaminetur sanguine. Quod Persæ in fluuiū neq; mingunt, neq; inde lauantur nec abluuntur, nec mortuum iniiciunt, nec alia quæ sunt immunda. Quod Persæ præmia proponuntis qui plures filios ediderint. Quod Persæ de maxinis rebus consultant ebrj, putantes ea consilia esse firmiora quam que in sobrietate fiunt. Quod Darius Longimanus, primus omnium tributa instituerit. nam antehunc quæ unaquæque regio producebat pendebantur, uelut frumentum, equi.

L I B R I      D E C I M I S E X T I .



V' d Syria uocatur à Babylone usque ad sinū Issicū atq; inde cōti nenter usque ad Pontum, id est usque ad Leucosyros & loca circa Amisum. In quorum medio ambo Cappadoces sunt qui intra quicq; extra Taurum sunt. Cæterum Taurus usque ad Amanum montem porrigitur. Quod Ninus urbs Assyriorum, longe fuerit Babylone maior in campo Aturiæ. Cæterum Aturia prope Arbela est, interiecto Lyco flumine. Quod Babylon Mesopotamiæ, muri ambitum habet trecentorum & octuaginta quinque stadiorum: eius crassitudinem, pedum triginta duorum: altitudinem uero inter turres cubitorum quinquagenaū: turrium ipsarum sexagenū. Vnde & hoc ē septem spectaculis unum dicitur. Item horti pensiles. Quod Babylon à Seleucia Mesopotamiæ stadijs trecentis distat. Est autem Babylon hoc tempore deserta, Seleucia uero nomine caret. Vnde ilud Comici de ipsa dicere licet, quod de magna urbe dicit,

*τριηκοντα επτάκιλοι μεγάλαι τόποι.*

Magna ciuitas magna solitudo est. Quod prope Arbela urbem Assyriæ facta est ingens illa ac postrema pugna Alexandri aduersus Darium, iuxta uicum Gaugamela. Non longe abest Lycus fluuius & urbs Demetrias, item Naphthæ sons & ignes. Quod Tigris à mari usque ad Opida & Seleuciam aduerso flumen nauigatur, Euphrates autem Babylonem usq; stad. tribus millibus.

Quod regio quæ circa Euphratem est hordeum fert supra trecentos modios. E palma uinum fit & acetum & mel & panis. Palmarum nucleis fabri ferrarij pro carbonibus utuntur. Idem aqua macerati ouibus & bobus in pabulum dantur. Dicunt esse carmen quoddam Persicum, in quo trecentæ sexaginta palmarum utilitates narrantur. Quod iuxta Babylonem multum nascitur bitumen: cuius aliud liquidum est, quod naphtha dicitur: aliud aridum, iuxta Euphratem. Ex hac glebae maximæ concreantur, ad ædificia idoneæ, quæ ex coctilibus lateribus fiunt. Porro liquidum, quæ naphtha est, admirabilem habet naturam. Nam igni admotum, ipsum corripit: & si corpus eo illatum igni admoueris, deflagrat: extinguitur autem luto & aceto & alumine & uisco multo. Vnde Alexander experientiae gratia in balneo puer cuidam naphtham inspersit, ac lucernā admouit: deflagnans autem puer ferè perijt, nisi circumstantes aqua multa infusa flamas euicis-

E P I T O M A E

sent. Quod uarie id effertur, haphthas & haphtha & naphtha tū foeminino generetum masculino. Quod Adiabene Babyloniae pars est & prouincia.

Quod Tigris fluuius, Thopitin lacum perfluit iuxta latitudinem medium, atque ad alterum os usque euectus, sub terram magno cum strepitu demergitur, ac per magnum spatium subter terra labens, iuxta Gordyæam urbem rursus emergit. Quod Tigris fluuius adeo est uelox, ut Thopitidi lacui, qui salsus est & piscibus caret, non misceatur. Quod è Thapsaco Babylonem usque stadia sint quater mille octingenta. Quod à ponte in Commagena, urbs est Samosata. Et est istud initium Mesopotamiæ stadiorum bis mille usque ad Thapsacū.

Quod Thapsacus Arabiæ urbs est, Nicephorium uero Mesopotamiæ, & distant hæ urbes inter se stadijs centū. Quod Mesopotamia haphthā fert & gan giten lapidem. Quod inter Euphratem & Tigrin, alias etiam fluuius labitur, Basilæus nomine. Item iuxta Anthemusiam urbem rursus alias, Aboras dictus.

Quod Syriam terminat, à septentrione quidem Cilicia & mons Amanus. Latitudo est à mari ad Euphratem. Sunt autem à sinu Issico usque ad pontem iuxta Cōmagenen, dictum latus terminantia stadia minus quam quadringenta: ab ortu, Euphrate flumine & Arabibus Scenitis qui intra Euphratem sunt: ab austro, Arabia felici & Ægypto: ab occasu mari Ægyptio & Syriaco usq; ad Issum. Partes eius sunt, à monte Amano, Cōmagine, Seleucis, caua Phoenice, Iudæa, & reliquæ prouinciæ. Quod Cōmagna urbem insignem habet Samosata. Seleucis uero Tetrapolis dicitur. Habet enim inter ceteras permultas urbes, quatuor insignes, Seleuciam Pieriam à Nicatore conditore, Antiochiam super Daphne, à patre ipsius, Laodicæam ab eius matre, Apamiam ab uxore. Has omnes Seleucus Nicator condidit.

Quod Orontes fluuius è Mesopotamia erumpens, deinde sub terram occultatus, circa Apamenen emergit rursus, atque hoc pacto in mare quod iuxta Seleuciam est egreditur. Quo loco uicinus mons est Pieria uocatus: deinde ad austrum Casius mons iuxta urbem Laodicæam, quo loco Dolabella à Cassio obseßus, oppetiit.

Quod Apamia urbs, Cherronesus uocatur, comprehenditurq; Oronte fluvio, & lacu magno qui huic est uicinus, ac paulib; Prius Pella uocabatur, à Macedonibus qui illic habitarunt: postea Nicator Seleucus instauratam eam de uxoris nomine uocauit. Hoc ipso in loco Nicator quingentos elephantes aluit, item equi alebantur & regis equæ numero supra triginta millia. Ex Apamia fuit Posidonius, philosophorum sui temporis eruditissimus.

Quod in Arado insula fons est dulcis aquæ, sub marinis fluctibus ex oriens, è quo aquantur scapha in aquâ demissa, plumbea, ore lato, in angustum fundū coacta. Quod Tripolis è tribus urbibus coacta est, Tyro, Sidone & Arado. Trípoli continens est Dei facies, in quam Libanus mons finit.

Quod cauam Syriam montes Libanus & Antilibanus efficiunt, initium habentes ille quidem è Tripoli, hic uero è Tyro, paralleli inter se locati. Finiunt autem prope montes Arabicos qui super Damascenam sunt. Latitudo regionis stadiorum est ducentorum, longitudo dupla. Est autem regio hæc beatissima fluminibus irrigua, tum alijs, tum etiam Iordanæ flumine.

Quod Posidonius tradit in caua Syria draconem uolantem uisum fuisse, mortuum, longitudine ferè unius iugeri, crassitudine tanta ut equites utrin

## I N S T R A B O N E M.

utrinque astantes se intueri mutuo non possent. Hiatus oris tantus erat, ut hominem equo insidentem acciperet. Exuuiarum squama quaelibet clypeo maior.

Quod regio tota à Seleucide ad Aegyptum usque & Arabiam, caua Syria uocatur, proprie uero ea quae Libano & Antilibano terminatur. At ab urbe Orthosia Pelusium usq; regio maritima, Phoenicē dicitur, angusta existens. Quae uero supra hanc est mediterranea regio, inter Gazam & Antilibanum usque ad Arabas, Iudaea uocatur. Quod Tyrus, cum prius fuerit insula, aggesta terra per obsidionem, peninsula est effecta. Purpura quae illuc fit, pulcherrima habetur.

Quod Sidonij multarum atque optimarum artium magistri perhibentur, philosophiae & arithmeticæ & computationum & astronomiæ periti. Item mercaturæ & nauigationis nocturnæ, quemadmodum Ægyptij geometriæ inuentores perhibentur. Quod Sidon à Tyro uersus boream distat stadijs ducentis.

Quod post Tyrum Ptolemais urbs sit, de qua mirus casus traditur. Nam quo tempore prælium cōmittebatur, cum in hoc litore insignis fuga habitatorum fieret, pelagi affluxus inundationi similis fugientes obruit, ac paulisper cōmorata aqua, rursus abscessit, relicts per caua loca mortuis hominibus & piscibus.

Quod que de Andromeda traduntur, circa Ioppen accidisse aiunt. Ceterum Hierosolyma Ioppe pro nauiuū statione utuntur. Quod à Cassio Pelusiū usq; Ægypti urbem stadia sunt trecenta.

Quod Gaza urbs à mari distat stadijs septem, à Gaza urbe ad urbem Asla, quod signum est sinus Arabici maxime orientale, per heremum stadia sunt mille ducenta & sexaginta. Et usque ad occiduum recessum sinus Arabici (Heroum oppidū uocat) à Pelusio uia deserta est, & serpentibus plena. Quod post Gazā, Rhaphia & Rhinocorura sunt urbes, quae inde appellationē habent. Quod Ægypti homines maleficos captos, nasi mutilatione plectentes, eō habitatū mittebant, qui postmodū hac nota cognobiles in Ægyptum redire non audebant.

Quod Pompeij magni corpus in Cassio monte iacet circa Serbonida lacum, iuxta urbem Pelusium. Quod ab Orthosia urbe Phoeniciæ Pelusium usq;, stadiorum sunt tria millia sexcenta quinquaginta, in sinum se inferenti: hoc iter ad occasum hybernum tendit. Ab eadem Orthosia ad Orontem fluuium stadia sunt mille centum & triginta, uersus ortum æstiuum. Ab Oronte fluuio ad cōfinia Syriæ & Ciliciæ, stadia sunt quingenta uiginti, uersus ortum æstiuum.

Quod Moses apud Iudæos celebris, ex sacerdotibus Ægyptiis unus fuerit, qui cum eorum superstitionem ferret moleste, in Palæstinam commigravit, ac permultos ex Ægypto unā abduxit. Ceterum Strabo Mosen laudat tanquam religiose & iuste talia molientem. Quod post Mosen sequentibus temporibus supersticio inter Iudæos inualuerit, uelut circuncisio & carnium esus interdictus.

Quod Hierosolyma urbs interiora habet aquis plena, foris sicca est. Fossa urbis non est fossilis, sed in lapidem excisa, profundo saxo. Lapidis excisus structuræ urbis materiam præbuit.

Quod Serbonis lacus profundus est, ambitum habens stadiorum mille. Is secus maritimā oram extenditur, longitudine paulò pluriū quam ducentorum stadiorum, aqua grauissima ut natatione opus nō sit, uerū qui tenus umbilico in eum procedit mox attollitur. Plenus est bitumine, quod ē medio fundo temporibus inordinatis cū bullis quasi feruentis aquæ efflatur. In summo autem incuruatus montis speciem præbet, fauillæ mulsum emittit, fumosus & aspectu ater, aeri & argento & nitidis ac tercis omnibus ru-

E P I T O M A E

biginem inducit, usque ad aurum. Vnde cum uasa situm contrahunt, iam accolae intelligunt bituminis eruptionem incipere, ac sese arundineis ratibus ad id inquirendum accingunt. Bitumen est terrae gleba quae a calore liquefacta efflatur atque diffunditur, rursumque in glaciem fortissimam ab aqua frigida immutatur, undesectione & incisione opus est. Id postea ob aquae crassitatem in summo fluitans, inciditur & aufertur.

Quod Hebraeorum urbs Sodoma, urbium duodecim fuerit metropolis, & cum terra subtus ignibus plena esset, ex terremotibus & igneis exhalationibus, eversae fuerunt & exustae omnes. Et emersit lacus qui nunc Serbonis dicitur sulphure & bitumine plenus.

Quod Aegypti ad mortuorum cōditurā, bitumine utūtūr. Quod ex Armozo Carmaniae promontorio, Arabie promontorium conspicitur quod est Macis proximum, id initium est sinus Persici. Nam ab eo loco ad ortum & occasum primo, inde ad septentrionem sinus Persicus in latum porrigitur usque ad Teredonem urbem & Euphratis fluuij ostia.

Quod mare Persicum, magnū est, adeo ut Ponto Euxino magnitudine multo minus non sit. Quod in parte sinus Persici maxime australi & occidua urbs est Gerra in locis salinis, ubi domus ex salibus cōstructae sunt, quas cum salis squamae propter solis ardorem separatae cōtinue cadunt, crebro aquis aspergunt atque pacto cōtinuant parietes. Quod in sinu Persico insule sint Tyrus & Aradus, a quibus Tyri & Aradi Phoeniciæ, coloni sunt profecti. Quod per totam Rubri maris oram maritimam arbores in profundo nascuntur, lauro & oleæ persimiles, quae in refluxibus ex toto deteguntur, in affluxibus nonnunquam ex toto obruuntur, id sit, quamuis ulterior terra arboribus careat, adeo ut admirandum sit. Quod in mari rubro cetus electus fuerit cubitorum quinquaginta.

Quod in paludibus, quas Euphrates effusus efficit uitis nascitur, terra in arundineis cratibus imposita quanta stirpem recipiat, ut saepe etiam ab aqua deferatur, quam rursus in pristinam sedem contis propellunt. Quod in Arabia felice lex est, ne filius a patre regnum suscipiat, sed qui primus est nobili genere post constitutum regem puer nascitur, is ex lege assumitur, & ad regni successionem regaliter educatur. Quod marerubrum profunditatem non habet, nam duas orgyas non excedit, unde herbida est superficies, dum plantae sese exerunt. Item arbores extra superficiem apparent, habet canum maritimorum insignem multitudinem.

Quod Astaboras fluuius parte quidem maxima Nilo miscetur, exigua portio in sinum Arabicum egreditur. Quod regio Arabiae maritima, cuius magnam partem Troglodytae tenent, oliueta, palmeta & laureta habeat.

Quod elephantes Arabici, quoties flumina caloribus arefiunt, dentibus & proboscide puteos effodiunt. Quod Strabo Trogodytas absq[ue] litera lenuntia. Quod Posidonius affirmat per Erembos apud Homerum, Arabas intelligendos esse, tanquam ueteres ob discrimen hoc nomen uitiarent, ut pro Arabibus Erembos appellarent. Nam haec nationes tres inter se finitimæ, eandem ferè appellatione sortiuntur. Ad eundem modum per Arimos Syros esse audiēdos idem affirmat. Nam Arimæi sunt qui in ea habitant, & fortasse Græci eos Arimæos vel Arimos uocabant. Nominum enim mutationes permultæ sunt. Nam & Dariacem Darium uocabant, Pharzen autem Parysatim.